

*ma exscinderetur, & cum ea tum species tum spes Reipubl. concideret.*  
 Ita eleganter Grotius L. I. de J. B. & P. c. I. §. 7. Ceremonialis  
 desuit, veluti umbra, veniente corpore, Hebr. VIII. 13. X. 1. (2)  
 absolute de lege positiva morali: Lex divina prohibens licentiam  
 divortiorum, fuit dispensata: Lex divina prohibens licentiam  
 divortiorum fuit divina positiva moralis: E. quædam lex divina  
 positiva moralis fuit dispensata. Majorem probamus è Matth.  
 XIX. Minor, post Thomam 1. 2. qv. 102. art. 5. ad. 3. aliosqve Scho-  
 lasticos & Moralistas non paucos est B. Hulsemanni Breviar. cap.  
 XXI. Th. 8. Confer Compend. J. N. part. 2. pag. 182. Ut nihil dica-  
 mus de prohibitione polygamiæ, quam ad Jus positivum divinum  
 Idem refert Theologus cum aliis, indeqve in V.T. capax fuit dispen-  
 sationis. Vid. iterum Comp. part. I. p. 65. & part. II. p. 178.

## §. XXIV.

2) huma-  
num.

Jus omne positivum humanum tam intensivè quam extensivè  
 minoris est, quam Jus N. rigoris. Amplissima hæc est assertio, com-  
 plexa non tantum omne Jus positivum humanum, sed & omnis rigo-  
 ris species, in quibus remissio aliqua fieri potest. Nec tamen in  
 genere opus est prolixâ probatione. Certum enim est, illud in-  
 tensivè deficere, cum latum sit ab hominibus, qui solas circumstan-  
 tias patentes cognoscendo penetrant; indeqve solis etiam illis si  
 bonæ fuerint contentum sit, ulteriore autem latentemqve in in-  
 tentione bonitatem Deo, ejusqve juribus positivis & Naturalibus  
 exigendam relinqvat. Indifferentes verò actiones cum unicè di-  
 rigat ipsumqve ex arbitriô Legislatoris sui dispensari, mutari, abro-  
 gari possit, extensivè quoque tam ratione objecti, quam durationis  
 cum Jure N. haud paria facere potest.

## §. XXV.

Magha profecto claraqve hæc sunt indicia minoris in Jure  
 positivo humano rigoris; aliud tamen idqve præcipuum in eo con-  
 sistit, quod nonnunquam eandem rem aut actionem, quam J. N.  
 præcipit aut prohibet, jus positivum humanum aliter fieri  
 permittat, nec tamen habeatur pro injusto. Cum autem à rigore  
 Juris naturæ jus positivum humanum haud possit abire magis, digna  
 hæc est observatio, quam exemplis declaremus. Ea verò cum sint  
 varia & multa, nos pauca tantum feligemus, quorum aliqua ad  
 Rempublicam vel pacis vel belli tempore, aliqua ad societas sim-  
 plices